An. et vol. XXXII 5 Martii 1940 (Ser. II, v. VII) – Num. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Decretum, p. 73 – *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 74 – *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Designatio, p. 74 – *S. C. Concilii*: Resolutio, p. 75 – *S. C. de Propaganda Fide*: I. Provisio Ecclesiarum, p. 78. II. Nominationes, p. 78 – *S. C. Rituum*: I. Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. Philippinae Duchesne, p. 79. II. Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. Ioachimae de Vedruna, vid. de Mas, p. 81.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Sententiae et decreta anni 1939, p. 84. Citatio edictalis, p. 103.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne – S. C. dei Riti: Congregazioni varie, p. 104.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XL

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L. it.* 55 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L. it.* 4,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXII, n. 3 - 5 Martii 1940)

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

PAG.
Decretum de sterilizatione directa. - *24 Februarii 1940* 73

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 74

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Designatio pro appellatione 74

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Iuris funerandi canonicos honorarios. Resolutio. - *9 Decembris 1939* 75

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiarum 78
II. Nominationes 78

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Romana seu Sancti Ludovici.* - Decretum de miraculis pro beatificatione Venerabilis Servae Dei Philippinae Duchesne, e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu. - *28 Ianuarii 1940* . 79
II. *Vicen. seu Barcinonen.* - Decretum de miraculis pro beatificatione Venerabilis Servae Dei Ioachimae de Vedruna, vid. de Mas, Fundatricis Instituti Carmelitarum a Caritate. - *28 Ianuarii 1940* 81

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I. Sententiae editae anno 1939 84
II. Decreta in causis aliter eodem anno finitis 96
Citatio edictalis: Tripolitana Maronitarum. - Nullitatis matrimonii (Chassiboh-Loublos). - *14 Februarii 1940* . . . 103

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 104
II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 104

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **INSTITUTIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI.** Vol. I. **Ius publicum internum** (Ecclesiae constitutio socialis et potestas). Editio altera emendata et aucta, 1935. In-8°, pp. VIII-510	27 —	28,50	32 —
Vol. II. **Ius publicum externum**, pp. 540	28 —	29,50	33 —
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **COMPENDIUM IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI AD USUM AUDITORUM S. THEOLOGIAE.** In-8°, pp. VIII-526	20 —	21,50	25 —
CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos annis MCMXVII-MCMXXXV data et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et R. Curiae decisionibus aucta. 1935, in-8°	12 —	13 —	14,50
— *Lineo contectum*	18 —	19 —	20,50
TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO PETRI Card. GASPARRI. Editio nova ad mentem Codicis I. C. - Vol I, pp. 472 - Vol. II, *cum allegatis.* In *brochure*, pp. 620	50 —	53 —	60 —
Volumina partim corio, partim lineo contecta, cum titulo aureo	70 —	73 —	80 —

Venunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis,,
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722)

An. et vol. XXXII 5 Martii 1940 (Ser. II, v. VII) - Num. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

Proposito Supremae Sacrae Congregationi S. Officii dubio: « An licita sit directa sterilizatio sive perpetua sive temporanea, sive viri, sive mulieris », Emi ac Revmi Patres DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, feria IV, die 21 Februarii 1940, respondendum decreverunt:

« *Negative* et quidem prohiberi lege naturae, eamque, quoad sterilizationem eugenicam attinet, Decreto huius S. Congregationis, die 21 Martii 1931, reprobatam iam esse ».

Et feria V, die 22 Februarii 1940, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii die 24 Februarii 1940.

Romulus Pantanetti, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore providere dignatus est, nimirum :

die 24 Ianuarii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Tornacensi praefecit R. D. Aloysium Delmotte, Rectorem Seminarii Maioris dioecesani.

die 3 Februarii 1940. — Metropolitanae Ecclesiae Sucrensi Exc. P. D. Danielem Rivero, hactenus Episcopum S. Crucis de Sierra.

die 9 Februarii 1940. — Titulari episcopali Ecclesiae Aristianae, Exc. P. D. Iosephum Carević, hactenus Episcopum Ragusinum.

die 20 Februarii 1940. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Damascenae R. D. Iosephum Beltrami, Nuntium apostolicum in Republica *El Salvador* et in Republica *Guatemala*.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DESIGNATIO PRO APPELLATIONE

Quoad appellationem, Ordinarius pro Ruthenis Galitianis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis designavit Tribunal Ordinariatus pro Ruthenis Podocarpaticis in eadem natione commorantibus. Quam designationem Ssmus D. N. Pius Pp. XII, in Audientia diei 27 mensis Ianuarii a. 1940 approbavit.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DIOECESIS C.

IURIS FUNERANDI CANONICOS HONORARIOS

Die 9 Decembris 1939

DISCEPTATIO. — Statuta Capituli cathedralis *Dioecesis C.*, ab Episcopo anno 1933 approbata, in articulo 123 haec decernunt: « Defuncto « aliquo canonico, etiamsi honorarius aut simpliciter beneficiarius fuerit, « quaecumque sit paroecia in qua decesserit, Capitulum collegialiter pro- « cedet ad eius domicilium. Archipresbyter levabit cadaver, quod ad « ecclesiam cathedralem deferetur, ut ibi funera expleantur ».

Animadvertendum in primis est articulum non satis perspicuum videri. Sane clausula illa « quaecumque sit paroecia in qua decesserit », vi verborum paroeciam significat in qua canonicus diem supremum obiit, non autem paroeciam quae est defuncti propria ratione domicilii, ut censet Capitulum.

Praeterea in memorato articulo nihil praecavetur circa electionem alius fortasse a cathedrali ecclesiae funerantis, ad normam canonis 1223 § 1: qua electione admissa, non in cathedrali sed in electa ecclesia iusta funebria canonici quoque residentialis persolvenda sunt.

Denique fieri potest ut canonicus, etiam residentialis, in paroecia valde dissita ab ecclesia cathedrali, rusticationis v. g. vel curationis causa, decedat; tunc eius cadaver, si commode ad ecclesiam cathedralem asportari nequeat, ad normam canonis 1218, in ecclesia paroeciae in qua mors accidit funerandum est. Quod a fortiori valet et de canonicis honorariis, qui iuxta canonem 406 ex aliena quoque dioecesi nominari possunt.

Verum, his quoque missis, articulum 123 Statutorum capitularium, de quo agitur, sustineri non posse videtur.

Siquidem vi Codicis I. C. parochus proprius intentionem habet in iure fundatam funerandi omnes suos paroecianos, nisi ab ipso iure aliud *expresse* decernatur. Hoc eruitur ex canone 462 praescribente: « Fun- « ctiones parocho reservatae sunt, nisi aliud iure caveatur... 5° iusta fu- « nebria persolvere ad normam canonis 1216 ». Qui canon haec statuit: « Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario « est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris « ecclesiam legitime elegerit », ad normam can. 1223 et sequentium.

Et haec est praecipua exceptio in iure statuta contra regulam generalem de iure parochi omnes suos fideles funerandi, sicuti aliae habentur exceptiones, nonnullorum nempe defunctorum spectata condicione, pro quibus ius ipsum *taxative* ecclesiam funeris designat. Codex autem ecclesiam funeris designat tantum quoad S. R. E. Cardinales, Episcopos residentiales, Abbates et Praelatos nullius, religiosos et beneficiarios residentiales. Qui postremi, ad normam canonis 1220, « ad ecclesiam sui bene- « ficii transferendi sunt, nisi sibi aliam elegerint ecclesiam funeris »; quapropter et canonici residentiales, qui et ipsi sunt beneficiarii residentiales, altioris quidem ordinis, minime vero canonici honorarii. Leges enim, ad normam canonis 18, accipiendae sunt iuxta propriam verborum significationem, non autem extendendae ad alias improprias significationes.

Canonici itaque honorarii, sicuti Episcopi titulares, beneficiarii non residentiales, etc., transferendi sunt, funeris causa, aut in ecclesiam quam ipsimet legitime elegerint, aut, si haec electio defuerit, in ecclesiam propriae paroeciae vel loci in quo mors accidit, iuxta normas communes pro cunctis fidelibus, et canonibus 1216, 1218 contentas.

Nec aliquid contra erui potest ex canone 415 § 2 n. 3 decernente: « Iusta funebria in ecclesia (*cathedrali vel collegiali*) ad normam iuris « peragenda, non exclusa Missa exsequiali, persolvere ad Capitulum « pertinet tantum in casu quo de funere agatur alicuius dignitatis vel « canonici etiam honorarii tantum vel beneficiarii ».

Nam in citato canone normae tantummodo traduntur quibus relationes iuridicae inter Capitulum cathedrale vel collegiale et parochum eiusdem ecclesiae reguntur, seu inter eosdem ius dicit, quin ullum praeiudicium inferatur iuri alieno et in casu aliorum parochorum. Siquidem, iuxta huius canonis praescriptum, si ecclesia, ad quam cadaver canonici honorarii funeris causa ad normam antea expositorum transferri debet, sit ea praecise cuius Capitulo defunctus adscriptus fuit, utpote vel a defuncto legitime electa, vel ut defuncti aut loci decessus paroecia, minister exsequiarum non parochus erit vel rector ipsius ecclesiae, sed Capitulum ipsum. In hoc proinde consistit norma peculiaris quoad exsequias dignitatum, canonicorum licet tantum ad honorem, et beneficiariorum, in canone 415 § 2 n. 3 statuta. Id constat ex claris verbis eiusdem canonis: « Si « ecclesia cathedralis aut collegialis simul sit paroecialis, relationes iuri- « dicae inter Capitulum et parochum reguntur normis quae sequuntur ». Equidem in huius canonis praescripto Codex non agit de iure funerandi in tota sua extensione, sed tantum de iure iusta funebria in eadem ecclesia *ad normam iuris* persolvendi. Ergo canon supponit cadaver dignita-

tis, canonici, etc., super quod exsequiae a Capitulo persolvendae sunt, fuisse iam ab iis ad quos spectat, nempe a parocho, *legitime* levatum, et in ecclesiam capitularem funeris causa deductum ad normam canonis 1230 § 1.

Et quia iusta funebria *ad normam iuris* sunt peragenda, canon ipse quodammodo insinuare videtur haec a Capitulo tantum persolvi posse, si et quatenus ius ipsum sinit ut in cathedrali vel collegiali ecclesia peragantur, in casibus nempe a iure permissis.

Neque in contrarium argui posse videtur ex relato articulo 123 Statutorum capitularium, utpote quae ab Episcopo approbata sunt. Statuta namque capitularia, ex eo quod ab Episcopo approbantur, sine cuius auctoritate postea nec abrogari possunt, nec mutari (can. 410), vim legis episcopalis seu dioecesanae non sortiuntur, sunt et manent leges capitulares, quin eorum naturam mutet approbatio data atque recognitio et confirmatio in forma communi (cfr. Wernz-Vidal, *De personis*, n. 674, Ius canonicum).

Quin imo Episcopus per legem dioecesanam derogare nequit iuri communi, nec subducere a iurisdictione parochi personas sive physicas sive morales in genere, sed tantum religiosas familias et pias domos ad normam canonis 464 § 2.

Perperam denique arguitur ex aequiparatione inter canonicos residentiales et honorarios qui, iuxta canonem 407 § 2, « praeter insignia et « privilegia seu iura honorifica, obtinent quoque scamnum in choro ». At, praeter haec honorifica, nulla alia iura Codex iis tribuit, immo, et vocem habere in Capitulo (can. 411 § 3) denegat, nec reditus capitulares percipiunt.

Resolutio. — In plenariis autem comitiis, die 9 Decembris 1939 habitis, Emi Patres huius S. Congregationis ad propositum dubium : *An et quomodo articulus 123 Statutorum capitularium sustineatur, in casu;* responderunt : *Negative, et articulum 123 Statutorum capitularium esse reformandum ad normam iuris.*

Quam resolutionem, in Audientia diei 16 eiusdem mensis, referente subscripto eiusdem S. Congregationis Secretario, Ssmus Dnus Pius Pp. XII benigne approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis decretis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando, Ssmus Dñus Noster Pius div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum:

die 12 Ianuarii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Chilawensi praefecit R. P. Edmundum Peiris, O. M. I.

— Titulari episcopali Ecclesiae Praenetiensi R. P. Secundinum Petronium Lacchio, O. F. M., quem constituit Vicarium Apostolicum de Changsha.

— Titulari episcopali Ecclesiae Attalensi in Pamphylia R. P. Dominicum Lucam Capozi, O. F. M., quem constituit Vicarium Apostolicum de Taiyuanfu.

die 13 Februarii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Bangalorensi, nuper erectae, Exc. D. Mauritium Bernardum Despatures, hactenus Episcopum Mysuriensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Hypaepenae R. P. Aloysium Lane, e Societate de Maryknoll pro missionibus exteris, hucusque Praefectum Apostolicum de Fushun, quem constituit Vicarium Apostolicum Fushunensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Abbiritanae R. D. Ioannem Bapt. Hou, e clero indigena, quem constituit Vicarium Apostolicum de Shihnan.

II

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit:

die 9 Februarii 1940. — R. P. Ioannem Baptistam Rosenthal, e Pia Societate Missionum, *Praefectum Apostolicum de Queenstown.*

— R. P. Ludovicum Wach, e Societate pro Missionibus ad Afros, *Praefectum Apostolicum de Korhogo.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA SEU SANCTI LUDOVICI

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI PHILIPPINAE DUCHESNE, E SOCIETATE SORORUM A SACRO CORDE IESU.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Legimus in Psalmo : *Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* (2, v. 8).

Iamvero Christus ad finem usque saeculorum, per Ecclesiam, quae Eius est mysticum corpus, sui regni dilatationem oratione et actione iugiter postulat postulabitque; Apostolis namque discipulisque praecepit : *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam* (Mt., 9, 37-38), et : *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* (Mc., 16, 15). Cui mandato praecipue missionales viri feminaeque obtemperant, qui, animarum zelo succensi, usque ad extremum terrae convolant, ut externos et devios doceant atque ad Christi ovile reducant.

His iure Ven. Philippina Duchesne, e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu, est accensenda, quae a S. Magdalena Sophia Barat, legifera Matre, instantissime expetivit obtinuitque ut apud Borealis Americae gentes, tunc barbaras adhuc, se conferret, ubi triginta quatuor per annos pro animarum salute impigre ad obitum usque adlaboravit, quem die 18 Novembris anno christiano 1852 sancte oppetiit.

Ea, vix demortua, sancta a cuncto populo fuit conclamata. Quare, quamprimum datum est, ordinaria auctoritate prius, apostolica postea constructi fuere processus, servatisque omnibus de iure servandis, Pius X fel. rec. Commissionem Introductionis Causae die 9 Novembris a. 1909 obsignavit, die autem 17 Martii mensis a. D. 1935 Pius XI sa. me. Sacrae Rituum Congregationis decretum, virtutes heroico gradu eam exercuisse declarans, promulgari iussit.

Nec satis. Deus enim ipse fidelissimae Famulae suae sanctitatem comprobare visus est, nonnullas sanationes ultra naturae vires operando;

ex quibus diligentes actores duas selegerunt, quae veri miraculi notas visae sunt portendere.

Prior sanatio alma hac in Urbe a. 1930 contigit. Soror Carolina Indelli otite media, purulenta, chronica, in sinistra aure una cum ossea carie in mastoide atque in antro, nec non fistuloso sinu pus manante fuerat affecta.

Anno 1928 chirurgica operatio nullum levamen attulerat, ideoque morbus magis magisque saevierat, adeo ut ad servandam vitam altera gravior operatio, medicorum iudicio, necessaria omnino fuisset.

Gravissimis hisce in adiunctis die 28 Octobris versabatur infirma. Ferventes interim novendiales preces tertio effundebantur, Venerabilis Philippinae interventione invocata. Sequenti mane Soror Carolina perfecte sanatam se sensit, omnia enim diri morbi symptomata plane evanuerant, uti in medica arte periti edixerunt. Tres quoque ab hac Sacra Congregatione adlecti otoiatrae periti una cum duobus medentibus plene in diagnosi, gravi prognosi et miraculo hac in sanatione conclamando concordant.

Sanatio altera in urbe « Ponce », insulae « Puerto Rico », in centrali America a. 1932 evenit. Franciscus Bahamonde hepatica cyrrhosi laborabat. Qui morbus, tam medentium quam peritorum ex officio sententia, factus fuerat insanabilis, infirmumque ad mortis limen adduxerat. Venerabili Philippina invocata, infirmaeque aegrotantis corporis parti apposita de eius reliquiis particula, Franciscus placido somno correptus est.

Expergefactus nullum iam vel minimum lethalis morbi indicium saevire percepit; nec amplius huiusmodi morbo Franciscus est affectus. Sanationem miraculo tribuendam tres periti ex officio nec non medicus a curatione alterque peritus edicunt.

Super hisce sanationibus, Apostolica auctoritate tum in Romano Vicariatu, cum in Poncensi Curia adornati sunt processus, nec non additionales inquisitiones.

Quum a disceptatione super Romani processus validitate apostolica auctoritate fuisset dispensatum, de Poncensi in Congregatione die 14 Decembris a. 1937 actum est, decretumque die 22 eiusdem mensis, Pio Pp. XI approbante, editum est.

De utraque mira sanatione die 21 Iunii a. 1938 coram Rmo Cardinali Petro Boetto, Causae Ponente seu Relatore, antepraeparatoria Congregatio coacta est, cui die 14 Martii 1939 praeparatoria successit. Demum, die 12 Decembris eiusdem anni Generalia comitia, coram Ssmo D. N. Pio Papa XII convocata sunt, in quibus infrascriptus Cardinalis Prae-

fectus, loco et vice Cardinalis Ponentis, dubium proposuit : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suam aperuere sententiam. Beatissimus vero Pater animum Suum aperire distulit ut a Deo maiori lumine illustraretur, hortatusque quotquot aderant, ut ferventes preces interim ad hunc finem effunderent. Diem autem hanc, 28 mensis huius, Dominicam in Sexagesima, elegit ut Suam panderet mentem.

Ad Se itaque Revmos Cardinales Carolum Salotti, Sacrae Rituum Congregationis Praefectum, atque Petrum Boetto Causae Ponentem seu Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium arcessivit, divinoque aucharistico sacrificio piissime litato, pronunciavit : *Constare de duobus miraculis a Deo, intercedente Venerabili* Philippina Duchesne, *patratis;* nempe : *De instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Carolinae Indelli a chronica oto-mastoidite cum carie ossea, tum Francisci Bahamonde a cyrrhosi athophica hepatis.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri, et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 28 Ianuarii a. D. 1940.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

VICEN. seu BARCINONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI IOACHIMAE DE VEDRUNA, VID. DE MAS, FUNDATRICIS INSTITUTI CARMELITARUM A CARITATE.

Super dubio

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Pius quidam commentator, illud Evangelii : *Semen cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum* (Luc. VIII) explanans, « Si vis, inquit, multum fructum colligere in futuro, multa debes bonorum operum semina spargere in praesenti... Licet multa opera sint gravia et sensualitati lacrymosa, tamen tempore messis tristitia seminantis vertetur in gaudium metentis » (*Sermo 2 in Sexagesima,* inter opera S. Bonaventurae ed. Romae 1596, Tom. III, p. 61-*a*). Venerabilis Ioachima Vedruna vidua de Mas multa bonorum operum semina sparsit in

lacrymis quae versae et sunt in aeterna gaudia; nec ad haec pervenisset, nisi prius tribulationibus fuisset tentata. « Nequaquam, ait S. Gregorius, retributionis gaudium de aeternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur » (*Moralium*, lib. 10, c. 19, PL 75, 941). *Deus autem, qui dives est in misericordia* (Eph., 2, 4) et qui *iustus iudex* (2, Tim., 4, 8) *retribuet secundum* uniuscuiusque *iustitiam et secundum puritatem manuum eius* (Ps., 17, 21), *iustitiae coronam* Famulae suae reddidit, nomenque eius coram Ecclesia magnificavit. Non solum enim Sacra Rituum Congregatio, per decretum die 16 Iunii a. 1935 latum, eius virtutes humano testimonio heroicas fuisse edixit, sed et Ipse Deus testimonio Suo, ea interveniente, plura dignatus est mira ultra naturae leges operari, quibus ei ad beatificationis honores comparandos via sternitur.

Re sane vera, diligentes actores ex pluribus sanationibus quae, Ven. Ioachimae interventu, a Deo patratae ferebantur, duas selegerunt, quae veri miraculi notas praeseferre videntur.

I. Die 14 Septembris anni 1921 ob vitreae ampullae, oxygenatam aquam continentis, violentam diruptionem, Mariae « del Pilar » Pasquau Gutierrez dexter oculus fere totus fuit effossus atque ad pisi instar redactus, unde omnimoda caecitas consecuta est; quae neque naturae viribus, neque medica aut chirurgica arte reparari quivisset unquam. Non una enim cicatrice fuisset opus, quae discissam oculi tunicam reficeret, sed et deperditi humores erant denuo creandi, qui oculi vacuum replerent, et in proprium locum ita aptandi, ut penitus eversus dioptricus apparatus perfecte redintegraretur. Has diagnosim et prognosim, prae ceteris, duo medici, qui, quum infortunium contigit, coram aderant, in iudicio quoque tanquam iurati testes protulerunt: in quorum sententiam tum tertius medicus, in curandis oculis peculiari scientia praeditus, qui Mariam inviserat, cum tres Periti ex officio, ab hac sacra Congregatione adlecti, qui in Romana studiorum Universitate ophthalmiatriam docent, plene concesserunt.

Iamvero postridie infortunium, Venerabilis Ioachimae imago effosso oculo fuit apposita, novendialesque preces ut, ea interveniente, oculus sanaretur effusae sunt; quibus integre completis, oculus plene ac perfecte sanatus inventus est. Omnes hi medici atque periti unanimi pariter consensu miraculum intervenisse affirmant.

II. Iosephus Palazon Riquelme ex quinque medicorum curantium nec non trium peritorum ex officio sententia Ianuario mense anni 1925 a pleuro-pulmonari tuberculosi tentari coepit, cui interlobare sinistrum empyema accessit quod chronicum factum est, chirurgico ferro non cu-

rabile. Uterque morbus radiographicis imaginibus fuerat confirmatus. Prognosis erat omnino proximeque infausta.

Iamvero quod naturae vires perficere nequibant, Deus ipse magnifice fecit. Etenim novendialibus precibus, ad sanationem, Venerabilis Ioachimae interventu, obtinendam, tertio inceptis, die 22 Maii eiusdem anni 1925 de repente Iosephus ita perfecte sanatus est, ut statim ad pristina redire potuerit officia, neque amplius in morbum recidit.

Medentes a cura tresque periti miraculo sanationem hanc tribuunt.

Super hisce miris sanationibus Apostolicae inquisitiones in Episcopalibus Curiis Giennensi atque Barcinonensi fuerunt peractae, pro quarum iuridica vi die 3 Februarii mensis anno 1937 a Sacra hac Congregatione fuit editum decretum. Servato iuris ordine de utroque miraculo primum in antepraeparatorio Coetu coram infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto atque Causae Ponente die 24 Maii a. 1938, dein die 18 Aprilis a. 1939, in praeparatorio disceptatum est.

Demum die 9 mensis huius, coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, in Generali Congregatione idem Cardinalis dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores sua quisque protulere suffragia; quibus auditis, Beatissimus Pater, ut interim a luminum Patre Suis praesentiumque precibus mens Sua magis magisque illustraretur, Suum ferre iudicium distulit.

Dominicam autem hanc, in Sexagesima, diem 28 Ianuarii mensis, elegit ut approbationis decretum promulgaretur.

Quare infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Praefectum et insimul Causae Ponentem seu Relatorem ad Se advocavit, una cum R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario, Sacroque religiosissime litato, edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per Venerabilis* Ioachimae de Vedruna Viduae de Mas *intercessionem patratis,* nempe: *De perfecta sanatione Mariae del Pilar Pasquau Gutierrez a perpetua dexteri oculi caecitate ex gravi traumate* nec non: *De instantanea perfectaque sanatione Iosephi Palazon Riquelme a lethali tuberculosi pleuro-pulmonari et ab insanabili interlobari chronico empyemate sinistro.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 28 Ianuarii a. D. 1940.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Causae quae in Tribunali Sacrae Romanae Rotae actae sunt anno 1939, quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.

I. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: C. Pecorari, *Ponens,* H. Caiazzo, F. Roberti.
Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.
Advocati: I. B. Ferrata, D. Lazzarato.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 11 Ianuarii : « Negative ».

II. NERITONEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* H. Caiazzo, F. Roberti.
Vinculi Defensor deputatus: I. Benedetti
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Giove.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 16 Ianuarii : « Negative ».

III. STRIGONIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus et ob ignorantiam circa essentiam matrimonii.*
Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* S. Janasik, A. Canestri.
Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.
Advocatus: D. Lazzarato.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 16 Ianuarii : « Affirmative ».

IV. ATREBATEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* H. Quattrocolo, A. Fidecicchi.
Vinculi Defensor deputatus: I. Benedetti
Advocati: D. Lazzarato, I. Oietti.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 19 Ianuarii : « Negative ».

V. ROMANA. – NULLITATIS MATRIMONII *ob impedimentum ligaminis.*

Turnus Rotalis: C. Pecorari, *Ponens,* H. Caiazzo, F. Roberti.

Promotor Iustitiae: V. Bartoccetti.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 25 Ianuarii : « Affirmative ».

VI. POSNANIEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.

Vinculi Defensor deputatus: I. Benedetti

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Rzewnicki.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 25 Ianuarii : « Negative ».

VII. AVENIONEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis et ob conditionem appositam non impletam.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocati: I. B. Ferrata, D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 26 Ianuarii : « Negative ».

VIII. ROMANA. – NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusam indissolubilitatem atque prolem.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, Decanus, *Ponens,* F. Roberti, A. Fidecicchi.

Promotor Iustitiae: V. Bartoccetti.

Vinculi Defensor deputatus: I. Kauer.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 7 Iulii 1937 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 31 Ianuarii : « Confirmandam esse, cum clausula prouti in eadem sententia, ideoque constare de matrimonii nullitate, in casu ».

IX. IANUEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusam indissolubilitatem.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* H. Quattrocolo, A. Wynen.

Promotor Iustitiae: V. Bartoccetti.

Vinculi Defensor deputatus: I. Kauer.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. Ojetti.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 10 Augusti 1936 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 1 Februarii: « Confirmandam esse, ideoque non constare de nullitate matrimonii, in casu ».

X. N. N. – NULLITATIS MATRIMONII *ob impotentiam viri.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, C. Pecorari.

Vinculi Defensor deputatus: E. Suárez.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Romano.

Dubia: I. « An constet de nullitate sententiae Tribunalis Posnanien. diei 21 Ianuarii 1936, in casu ». II. « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 4 Februarii: Ad I. « Affirmative. Ad II. « Negative ».

XI. TAURINEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis appositae et non adimpletae.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* S. Janasik, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: I. Kauer.

Advocatus: N. Patrizi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 4 Februarii: « Negative ».

XII. FLORENTINA. – NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* A. Wynen, A. Fidecicchi.

Vinculi Defensor deputatus: I. Kauer.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. Bonsignori.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 15 Februarii: « Negative ».

XIII. ROMANA. – NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis et ex capite defectus consensus.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* H. Quattrocolo, A. Wynen.

Promotor Iustitiae: V. Bartoccetti.

Vinculi Defensor deputatus: G. Oesterle.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Romano.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 23 Februarii: « Affirmative ».

XIV. VIENNEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusam unitatem.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, Decanus, *Ponens,* F. Roberti, A. Fidecicchi.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 8 Martii 1933 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 23 Februarii: « Confirmandam esse, ideoque non constare de matrimonii nullitate, in casu ».

XV. N. N. – NULLITATIS MATRIMONII *ob impedimentum criminis.*

Turnus Rotalis: I. Teodori, *Ponens,* C. Pecorari, H. Caiazzo.

Promotor Iustitiae: V. Bartoccetti.

Vinculi Defensor deputatus: I. Pendola.

Advocatus: T. Ragusa.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 24 Februarii: « Negative ».

XVI. BRUGEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* H. Quattrocolo, A. Wynen.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocati: S. Rzewnicki, H. Napoleoni.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 25 Februarii: « Affirmative ».

XVII. SUBLACEN. – CREDITI ET DAMNORUM.

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.

Promotor Iustitiae: V. Bartoccetti.

Advocati: E. Ruffini, *pro actore ex mandato gratuiti patrocinii;* N. Patrizi, *pro convento.*

Dubia: I. « An, quonam titulo, et quanam mensura actor Michael D'Andrea creditor sit erga Monasterium S. Scholasticae ». II. « An, et quanam mensura Monasterium S. Scholasticae iure reconventionis ius habeat ad refectionem damnorum in casu erga Michaelem D'Andrea ».

Sententia diei 1 Martii: « Negative ad utrumque ».

XVIII. MEDIOLANEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* F. Roberti, A. Fidecicchi.

Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 15 Martii: « Negative ».

XIX. PRAENESTINA. – NULLITATIS MATRIMONII *ob clandestinitatem.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* S. Janasik, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: I. Pendola.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. Ojetti.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 18 Martii: « Affirmative ».

XX. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae viri.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, Decanus, *Ponens*, A. Jullien, A. Fidecicchi.

Vinculi Defensor deputatus: R. Bidagor.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: A. Carabini.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 4 Decembris 1937 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 20 Martii: « Confirmandam esse, ideoque constare de matrimonii nullitate, in casu, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta Apostolica Sede ».

XXI. MEDIOLANEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob vim et metum, ob exclusam indissolubilitatem, ob errorem personae.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens*, G. Heard, S. Janasik.

Vinculi Defensor deputatus: A. Leduc.

Advocati: P. Guidi, C. Pacelli, *pro actrice;* R. Romano, *pro convento.*

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 28 Martii: « Negative ».

XXII. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, Decanus, *Ponens*, A. Jullien, H. Quattrocolo.

Vinculi Defensor deputatus: L. Koppert.

Advocati: I. B. Ferrata, I.Torre.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 30 Novembris 1936 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 13 Aprilis: « Confirmandam esse, ideoque constare de matrimonii nullitate, in casu ».

XXIII. VENTIMILIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens*, C. Pecorari, H. Caiazzo.

Vinculi Defensor deputatus: G. Oesterle.

Advocatus: C. Bernardini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 14 Aprilis: « Negative ».

XXIV. CADURCEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* S. Janasik, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: A. a Langasco.

Advocatus: F. Fournier.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 15 Aprilis: « Negative ».

XXV. LABACEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: C. Pecorari, *Ponens,* H. Caiazzo, F. Roberti.

Vinculi Defensor deputatus: I. Pendola.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. Benedetti.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 19 Aprilis: « Negative ».

XXVI. BAIOCEN. ET LEXOVIEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ob conditionem appositam et non adimpletam.*

Turnus Rotalis: C. Pecorari, *Ponens,* H. Caiazzo, F. Roberti.

Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: P. Fedele.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 19 Aprilis: « Negative ».

XXVII. FERETRANA. NULLITATIS MATRIMONII *ob impedimentum consanguinitatis.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Roberti, A. Fidecicchi.

Promotor Iustitiae: V. Bartoccetti.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

Advocati: I. Limongelli, *pro actore;* C. Bernardini, *pro conventa ex mandato gratuiti patrocinii.*

Dubia: I. « An appellatio admittenda sit, in casu ». II. « An sententia Curiae Feretranae sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris ».

Sententia diei 26 Aprilis: Ad I. « Affirmative ». Ad II. « Negative, ad primam partem; affirmative, ad alteram ».

XXVIII. PARISIEN. – NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum fidei.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocati: I. B. Ferrata, I. Kauer.

